



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo SS. Petri & Pauli Apost.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

IN FESTO
SS. PETRI & PAULI APOST.

1.

*Tu es Petrus, & super hanc Petram adi-
ficabo Ecclesiam meam, Matth. 16.*

Omnibus per totum mundum hominibus, qui se Christianos profitentur, promulgatum est hoc Evangelium de Petro in fundamentum & caput visibile Ecclesiæ constituto. Quid ergo obganiunt hæretici, qui sub capite isto vivere recusant? summa Ecclesiæ Catholicæ authoritas & gloria est, quod tam antiqua sit, & satis antiqua, quia à Christo instituta: verum est multo etiam antiquior; nam si moderni Judæi crederent, quod antiqui, omnes nobiscum Catholicis sentirent, sicut Patres eorum ante adventum Christi. *Mense VII. Disc.*
194. pag. 217.

2.

*Super hanc petram aedificabo Ecclesiam me-
am, Matth. 16.*

Promptitudo illa, qua Petrus JESUM se vocantem relictis retribus statim secutus est, favorem Christi singulariter illi conciliavit: accessit Petri animositas, & imperterrita fides, qua Christo constantissimè adhærere statuit.

Hinc

CONCIONATORIUS. 223

Hinc illum petræ comparavit DOMINUS.
Quàm longè absunt ab hoc exemplo , qui vo-
cem vocantis Dei non attendunt, vel auditam
denuò obliviscuntur ! hos olim ipse S. Petrus
in judicio accusabit. Mense X. Disc. 290.
pag. 290.

3.

*Tu es Petrus, & super hanc Petram ædifi-
cabo Ecclesiam meam. Matth. 10.*

Sicut Christus summa sanctitate discipulos
suos, & maximè Petrum imbuit, quem suum
in terris Vicarium constituit, ita cunctis tem-
poribus, utcunque ea essent scelerata ac per-
turbata, Ecclesiam suam in sanctitate ejusdem
doctrinæ conservavit, sempérque illi viros san-
ctos dedit, quorum virtutibus illustraretur do-
ctrina. Hæc ipsa doctrinæ sanctitas signum
est indubitatae veritatis. Mense VII. Disc. 195.
pag. 244. ad num. 13.

4.

*Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.
Matth. 16.*

Utcunque infernus per emissas hæreses, ac
immanes tyrannides minuere ac evertere Ec-
clesiam conatus est , nunquam tamen præva-
luit: imò ipse multoties effusus sanguis Mar-
tyrum factus est semen Christianorum. Sem-
per Ecclesia per summas difficultates magis est
amplificata. Est hoc illustre divini favoris ar-
gumen-

gumentum, & Catholicæ Veritatis indicium.
Mense VII. Disc. 195. pag. 259. ànum. 13. ad finem.

IN FESTO VISITATIONIS DEIPARÆ.

1.

Et salutavit Elisabeth. Luc. 1.

Mater Dei visitationis officium exhibet matri hominis : mater salvatoris matri præcursoris: superior inferiori. Exhibet magno multoque suo incommodo , & per tres fere menses in eodem obsequio perseverat. Discamus illius exemplo alijs præstare obsequia cum humilitate , Christiana charitate , & spirituali utilitate. Mense XII. Disc. 364. pag. 512.

2.

Et salutavit Elisabeth. Luc. 1.

Quid afferre nisi salutem potuit mater salvatoris? attulit salutem corporibus, dum Elisabetham suo refecit ministerio, infantem exultare fecit in utero: attulit & animis , dum matrem implevit prophetiæ spiritu, filium sanctitate , dum per fructum præsentem ventris sui eum originali peccato purgavit. Quid non erat actura Virgo ex charitate cognatae ? Pertingat illius exemplo nostra erga proximum charitas , quo usque potest. Fiet id , si didicerimus , quomodo spiritualia nostra bona præferre